

A reddit & diaphanam: hic vero densat, omnia inter miscet, aut mixta separare nequit, nec puritatem aliquando inducere potest. Verum ut imbecillus calor in omni materia, quæ facile misceri potest, opacitatis est causa; ita validior calor non nisi in certa materia, in ea scilicet quam potest modo miscere, sed non prouersus: aut si miscet, eam tamen extenuare & purificare nequit. Videtur adhuc alia esse causa opacitatis, & perspicuitatis, proprij caloris conseruatio, & extinctio in propria materia: ideo enim mortua corpora sunt opaca & obscura, quia proprium calorem & spirituosam, aercam inquam, & igneum substantiam amiserunt, ex qua dum viuebant luciditatem obtinebant. Quibus quidem ita positis, videamus an vrinæ fieri possint opacæ & perspicuae ab omnibus praedictis causis; an vero ex quibusdam. Nemini quidem dubium est, vrinas quasdam fieri opacas ob mixtione terrenæ & crassæ substantiae: quandoquidem quæ iam subsiderunt, agitatione ita confunduntur & obscure redduntur: neconon quæ confusa minguntur, & postea facta subsidentia clarescant, non enim alia ratione accidere potest, quam quod terrenæ substantiae crassæ & opacæ miscantur cum aquæ & diaphana. At si ita statuamus, ratio reddenda est, cur ex crassis quedam sint diaphana, aliæ vero opacæ: aliquando vero nequeant perspicuitatem impedire. Quoniam scilicet quod miscetur crassum, in minima est quantitate, & ob id nequit facere ut transitus splendoris impediatur. Ita enim bilis quæ liquorem vrinæ tingit, non impedit vrinæ perspicuitatem; et si sua natura est crassa & opaca: pauca enim est illius portio quæ assumitur ad tingendum vrinæ liquorem. Aliquando vero substantia crassa, quæ miscetur in multa quantitate, opacitatis est causa: aliquando vero luciditatem non impedit. videmus enim aliquando vrinas flauas, rubras, crassas, & tamen perspicuas. Aliquando vero subiugales, quæ non maiorem habent mixtionem terrenæ & crassæ substantiae, & tamen opacæ conspicuntur. Non ergo id quantitate substantiae, quæ miscetur, sed ex mixtionis modo accidit. Quæ enim penitus miscentur, vel cunctem habent mixtionis modum; ille opacæ redduntur: quæ vero mediocrem modum, perspicuæ euadunt. Nam ubi exacta est mixtio, sit confusio aquæ & terreæ substantiae: & propterea ubi est illarum substantiarum proportio, res non possent lucide fieri, sed turbatae & opacæ plus vel minus euadunt. Id quod appetet in vrinis purulenteris, quæ turbidae minguntur; & ubi subsiderunt, facile ex agitatione confunduntur & turbantur: quoniam scilicet pus minimam habet visciditatem, sed crassitudinem terrenam. quæ promptè vndiquaque cum liquore vrinæ miscetur. Vbi uero quæ miscentur crassa nondum sunt elaborata; partes omnes habent heterogeneas, non purgatas, non sublimatas, non uictas a calore. quare absunt luciditatis causæ. Et propterea urinæ subiugales sunt opacæ, quia fiunt in corpore, ubi est multa pituita cum sanguine commixta, quam calor naturalis, aut is qui in corpore uiget, solum agitare, & ex ea multos flatus gignere, & hæc cum liquore urinæ utcunque miscere potuit. Quod si paulo postea clarificet, ostendit uapores illos qui eleuabant partes terrenas, paucos fuisse, & propterea naturam breui separaturam morbos causas, ut quæ materiam habeant iam fere sublimatam & elaboratam. At tali enim materia aerij uapores puri & tenues & pauci gignuntur, qui cito exhalant, & res graues cum quibus erant commixti, descendere permittunt: ubi uero urinæ subiugales tales manent quæles minguntur, ostendunt uigere illam agitationem, quæ fit in pituita & alijs humoribus a calore, & multos gigni crassos uapores qui ab alijs urinæ partibus, cum quibus sunt commixti, exhalare nequunt. Quare merito tales urinæ superioribus deteriores consentur. Non ergo sola agitatio humorum subiugales reddit urinas; sed ubi adsunt humores pituitosi multi, & calor multus. Ex his enim causis multorum uaporum generatio & pituitæ cum urina mixtio fieri potest, presertim si pituita in uenis maioribus continetur. unde uideamus urinas subiugales non fieri, nisi in febribus contiuuis. Supetest ut reddamus rationem cur urinæ flauæ, rubræ, crassæ, perspicuæ reddantur. An id fit quia minus habent materiae crassæ? quandoquidem praedicti colores ut bilem testantur abundare, ita non potest multa pituita in corpore consistere. An etiam id fit, quia acriorem habeant calorem, qui tenuiore reddit materiam: & non solù tenuorem, sed magis aeream & puriorem, & magis elaboratam? nam ibi admodum sunt urinæ ignæ: ut in principio & augmento morbi urinæ non sunt admodum crassæ, sed in uigore & declinatione, quoniam iam natura materiam multum alterauit, & concoxit, & in concoctione purificauit humores, & splendorem in illis reliquit ex impressionibus factis a calore. Et quia talis materia quanto magis concoquitur, tanto magis elaboratur & assimilatur, & diversæ partes propriam formam recipiunt; ideo quod est crassum in illis, minimum amplius habet uaporosæ substantiae quæ per concoctionem exhalauit, & si quæ amplius manet, non est uaporosa sed extenuata. propterea non potest partes crassas diu sustinere, & illas mouere & miscere exacte per omnes urinæ partes: quo fit ut tales urinæ quanto magis sunt concoctæ, eo citius faciant separationem contentorum a liquore, & contenta magis descendant, quod est iudicium cinerem quendam factum esse ex crasso humore qui suapte natura non amplius subleuatus a uapore descendere potest. Ergo ut diximus, tales urinæ fiunt perspicue, etiæ si sint crassæ: quia crassi illarū substâlia nō tâta est in alijs: & quia nō abundat multis & crassis, uaporib. æqualiter & multū misceri nō pôt, sed mediocriter. Videamus iam an aliæ cause opacitatis in alijs urinis opacis inueniri possint. Poteft quidem impuritas

Ioan. Argent. De Vrinis Liber.

I 2 materie